Quaestio Cardinalitia agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 17a Maii. Clarissimo Viro D. Guillelmo Robineau D. M. Moderat. prudentiss.

Suntne tot Remediorum, quot Morborum genera?

Triplex est Corporis Nostri compositio triplexque Constitutio: quorum primum bipartitum tantum, Causa, morbo ex accidentibus simul inadditibus cognito, et symptomate morbo saepe molestiori afficitur. Simplicium partium a quibus omnis actio manat, morbus intemperies est vel febris, cujus essentia in calore est praeter naturam, non siccitate, sicut victus humidus febricitantibus omnibus conveniat. Organicarum vero nonnunquam renascentium functiones figurae numeri magnitudinis et situs asymmetria vitiat, ut utrarumque soluta unitas, quae non unica doloris causa, unius naturae beneficio curatur. Horum subiecta materia vitiosus humor non est, nec ulla febris in humore, nullaque in sanguine, vel nec causa solum vitium contentorum, quamquam calculus solius intemperati caloris soboles, non morbus, sed morbi causa censeri debet.

Rerum praeter naturam ea quae actionem primo laedit morbus est, cujus cum causa non adest, ad id quod factum est curatio dirigitur; sicuti, cum adhuc fit pari contrario per causas amotionem tollitur. Symptomata (quae omnia imbecilliora circa principia et finem, vel morbo consistente fortiora) nec curationis rationem indicant, etiamsi contrariis, vel morbi tollantur, nec eandem primo immutant, quamvis plerumque Medici sollicitudinem ad se neglecto morbo rapiant. Haec quo plura sunt, eo funestum morbi eventum certius praenuntiant, ut signa salubria, salutem: licet illa ex pravis in bona saepe (signa vero nequaquam) mutentur: eorumque vehementia bonas officias excitat: quas quae praecedit Nox gravior: sicuti quae sequitur magna ex parte levior existit.

Jam vero vel omne Medici negotium, circa dignotionem, praenotionem et curationem versatur; ista curatio, ad quam non semper indicatio necessaria est, tribus tollenda dispositioni contrariam qualitatem habentibus, absolvitur, quorum methodica inventio a tribus etiam indicantibus, inter quas virium robur locum [illegible] non habet, necessario petenda est. Sic frigida intemperies quae pari tempore cum calida discutitur, calidis medicamentis tantum, quorum tutius ac mitior usus, calidaque frigidis, sicca quae tardius dimittitur, quam humida, humidis, vel humida siccis. Vel vero intemperiem semper alterato, sic dum efficientes causas saepe evacuatio curantur. Hinc victus ratio in phlegmone frigida semper convenit. Fluxio auferatur plenitudine et cacochymia sublatis, hac purgatio humorum coctioni contraria, illa fortior vero in morborum statu nullo pacto tentanda.

Affectus qui ad Asymmetriam referuntur pro varia sui specie et conditione, variam sortiuntur curationem. Obstructio scilicet expectorantibus vel transfusione nonnunquam sanguinis emissione curatur. Asperitas lenientibus, vel leniendibus, cavitas stypticis et modice adstringentibus. Quod numero redundat scalpello, igne aut caustico. Mammarum (quas si Mulieri utero gerenti graciles repente fiant abortit) testiumque, prominentium refrigerantibus et adstringentibus. Obesitas (qua qui laborant citius intereunt quam graciles) attenuante victus ratione, acutis exercitationibus, medicamentisque potenter attenuantibus et incidentibus. Atrophia quam quod pectore male habent, patiuntur, frictione, percussione, picatione, non neglectis a cibo balneis. Luxatas partes quibus cum tendines perfusiones plurimum conferunt tensione; atque ad oppositam partem impulsione; quam sine medico nunquam facit Natura, licet morborum medicatrix.

Soluta unitas unionem postulat, in osse fracto (quo aegrotante cavo liquida malum) callo proprii ossis alimenti superfluitate generato procurandum: in carnosis partibus, sive sanas in deperditas locum restitutione: quae non nisi ex subiecta carne ortum ducit. Huc conferunt detergentia et modice exsiccantia, cujusmodi sunt thus in humidioribus et mollioribus corporibus, et aristolochia in siccioribus. Superfluum ulcus cute obducendum, epuloticis vel venerandas nonnulla medicamenta quae et tepidum calorem excitent, valentes siccent, tum quae trahendi vim habeant, tenuiumque sint partium, exigit. Verum vero simplici morbo simplex remedium, ita composito compositum convenit. Hinc si inflammatio, sordes, cavitas, ulcus simul in eadem particula consistant, alterantibus, stypticis, sarcoticis, collecticis, epuloticis ex ordine providendum.

Sunt Igitur tot Remediorum, quot Morborum genera.

Asserebat Lutetiae Claudius Rebours Sarreianus Lingonensis. 1671.

F.M.P. Bibliothèque